

110.242. MEMORIAM

IV, 274

D. LAURENTII
FINCKELTHUSII

Lipsiensis

Reipublicae Lubecensis
olim Syndici ac Poëtae lectissimae
ornatissimique

in

Athenæo Lubecensi

Cal. Aprilis A. MDCCXXI.

peracto

EXAMINE VERNALI

instauravit

GEORGIUS HEINRICUS

GOETZIUS D.

Lipsiensis

Ecclesiae Lubecensis Superintendentens

LUBECÆ

OPERIS GREENIANIS

A. MDCCXXIII.

IV-274





VIRI

*omnium ordinum ac dignitatum honoratissimi,
Usque*

*Juvenes bonarum literarum amore
flagrantissimi.*

CArmina sacra, Latina juxta atque Vernacula, carmina inquam, quæ & delectant & profunt, a quam plurimis conscripta olim fuisse, atque in hunc diem usque mira venustate componi, neminem Vestrum ignorare arbitror. Trahit enim quemque sua voluptas, atque Poetæ, qui quidem nascuntur, non autem fiunt, divino quodam à spiritu afflati, ingeniique bonitate confisi, laudabili prorsus studio versus facere solent, quibus argumenta, ad rem diviniorem spectantia, vivis describunt coloribus illustrantque, & cælestis Numinis gloriam promovere, & proximi commodis inservire annuntur. Pulchrum enim est & justum, ut vires animi, literis ingenuis exculti, data occasione exerantur, atque eruditionis divitiæ, improbo labore undique conquisitæ, non in occulto delitescant, sed in apricum subinde proferrantur.

rantur, atqve reliqvis utilitatis præbeant fructum. Omnes siquidem artes, quocunqve veniant nomine, ni contemni merito suo velint, utilitatem debent habere ac commoda afferre. Quemadmodum autem nulli ætati aut genti aditus ad eruditionis fastigium consequendum sunt præclusi: ita omni quocunqve tempore contigit, ut Viri subinde prodierint in conspectum, qui magna animi alacritate Poëmata condiderunt, iisdemqve præclarum decus nominisqve famam sibi conciliarunt. Nolo nunc ad eos animum meum convertere, qui vel sacra tractant studia, atqve verba faciunt ad populum, vel in scholis juvenum animos liberalibus artibus perpoliunt, horum enim indicem si conficere nunc animus esset, in seram usqve noctem sermonem meum protrahendo vix ac ne vix argumenti præstantiam & copiam expressurus essem. Quapropter ad eos tantum nunc respicere decrevi, qui ad reipublicæ gubernacula olim sederunt, atqve carminibus pangendis præclaram subinde operam navarunt. Aula enim in sinu fovit viros, poeseos laude celeberrimos. Curia venerata est, & Consules, & Senatores, & libellorum magistros, quibus nec ingenium, nec vena, nec doctrina, nec ulla defuit facultas, ad carmina contexenda, perquam necessaria. Ast dum Curia nunc mentionem injicio,

nec *Syndicos*, (1) qui in illa amplissimam or-
nant provinciam, prætermittere possum. Haud
pauci enim inter eos inveniuntur, quorum
merita in sacra carmina profus sunt exi-
mia. Quisquis Vestrum ignorat *Christianum*
Bieckium, ex Professore *Leucopetræo* Civita-
tis *Hallenfis* *Syndicum*? (2) *Jo. Domanum*,
Civitatum Hanseaticarum Syndicum, à *Mor-*
hofio (3), at quanto Viro! laudatum? *An-*
dream Gryphium, *Silesium*, (4) *Christiani*
Gryphii, *Polyhistoris* profus egregii, (5) ge-
nito-

- 1) Erudite sunt observationes, quæ in *Dissertatione Juri-*
dica, de Constitutione Syndici, sub præsidio *Jcti Wit-*
tebergenf. vere magni, *Casp. Ziegleri*, A. MDCXXC.
proposita, leguntur, atque dignitatem *Syndicorum* fusc
describunt.
- 2) De hoc conferri meretur *Celeberrimi Viri, Erdmanni*
Neumeisteri, Specimen Dissert. Histor. Criticæ de Poëtis
Germanicis, p. 15.
- 3) *Im Unterricht von der deutschen Sprache und Poësie,*
p. 346. sq.
- 4) Plura de eo tradit venerandus *Neumeisterus l. c. p. 42.*
qui in commendationem *Carminum*, quibus *Salvatoris*
nostri mortem decantavit, p. 43. sequentia literis tra-
didit: *Insignem quandam præ ceteris laudem meretur*
laudatissimus Poëta noster, quando meditationibus ple-
rumque sacris annos juveniles impendere voluit, quam
Fescenninis illis, quorum in coeno nescio quod calum
vulgò nimis credunt. Graphice omnino Passionem Ser-
vatoris describit. Addatur M. Jo. Christiani Kunckelii
Dissertatio, qua Silesiorum in Poësi Germanica Præstar-
tiam evicit, Lipsiæ MDCIIC. defensa, §. IIX.
- 5) De hoc post modo nominatum *Neumeisterum l. c. p. 42.*
sq.

nitorem? *Jo. Höfelium*, civitatis Svinfurten-
fis juxta aliarumque Dignitatum Equestrium
in Franconia Syndicum? (6) *Danielem Caspa-*
rum à Lohenstein, Reipublicæ Wratislavien-
fis, Syndicum? (7) *Christophorum Schwanman-*
num, Jctum, ac Civitatis Buxtehudanæ
Syndicum, (8) *Lazarum Spenglerum*, Nori-
ber-

A 3

ber-

sq. fufius egit M. Georgius Scultetus, in Commentariolo,
quo *Hymnopaos Silesiorum Witteb. A. MDCCXI.* est
complexus, p. 17. *sqq.*

- 6) Edidit librum *Hymnorum historicum*, & *Odas* quas-
dam sacras modulatus est, atque, A. 1683. ætatis 82. vi-
tam finivisse dicitur, teste *Dan. Seiffarto* in *Delic. Melic.*
Cent. 1. p. 295. sq. & *Jo. Mart. Schamelio* in *Ind. Hi-*
stor. Cantional. Numb. p. 39.
- 7) Vita ejus rationes prolixius expositæ legi possunt in
Frider. Casp. Hagenii Memoriis Philosophorum, Orator.
Poetar. Histor. & Philologic. p. 266. sqq. coll. M. Neu-
meisteri Dissert. cit. p. 65. sq. & *Kunckelii Dissertat.*
all. §. XI.
- 8) Hymnos ejus sacros, Germanicos juxta atque Latinos,
aliaque ab ipso edita scripta, adducit *Clarissimus Lycei*
nostri Rector, *Jo. Heinr. à Seelen*, in *Schediasmate Hi-*
storico, Memorabilia quædam Buxtehudensia complecten-
te, *Lubeca A. MDCCXXII.* edito, p. 13. Obiit autem
religiosissimus hicce senex a. 1653. d. 28. Novembr. an-
num ætatis 84. agens, quinque qui a. 1569. d. 13. Julii in
hanc lucem editus est, prout in Homilia funebri, qua
M. Jo. Riccardus, Ecclesiæ Buxtehudanæ Pastor, è *Pf.*
31. v. 6. exposuit, notatum legitur. Pietatem ejus, in
lecto ferali declaratam, sequentia satis abunde com-
probant, quæ in *Epistola*, ab adducto, ut conjicio, Sa-
cerdote, scripta, inveniuntur: *Quoties pium hunc vi-*
rum invisimus, toties ipsemet sciebat, se ea lege natum, ut
jam

bergensem, quem Lutherus valde dilexit, (9) & cujus Oda sacra crebrius auditur, (10) ac Martinum Stubrizium, Budissinensis civitatis Syndicum, (11) aliosque, qui odas varias atque sacras cumprimis, quarum nonnullae in conventibus sacris decantantur, haud in eleganter composuerunt? Horum sane merita peculiari sermone celebrare apud animum meum constitueram, quò Vobis innotesceret, Viros, Syndici munia gerentes, artis poëticae fuisse studiosissimos. At enim verò cum inter claros Syndicos, carminum sacrorum autores, Civem quoque meum deprehen-

— — — — —
*jamjam mundo immundo sit valedicturus & πoλιτευμα
 suum in coelis quaesiturus, ideoque ἐὺδακριασ ἀσίδε
 Deum efflagitavit, quam ex voto impetravit. Is enim
 superrime & postremo à me invisus ac interrogatus, quid-
 nam ageret, respondebat manibus sublatis ac plicatis:
 Hic jaceo & luctor cum Domino meo Jesu Christo, ad in-
 star Jacobi, non dimissurus eum, donec anima mea bene-
 dicat. Hier liege ich und kämpffe mi: meinem HErrn
 Jesu, gleich wie Jacob, ich will ihu nicht lassen, bis er
 meine Seele seegne.*

9) De illo legi meretur summus Virorum, D. Mart. Lutherus, in T. IV. Opp. Altenb. f. 443. T. V. f. 268. 203. T. VI. f. 465.

10) In Canticum ipsius, *Durch Adams Fall ist gantz verderbt* &c. luculenter commentatus est D. Jo. Benedict. Carpzovius in Hymnos, P. II. p. 863. sqq. qui versiculum insinuat septimum, eius Ode in Funer. P. II. p. 461. sqq. pie exposuit.

11) Carminum ejus non sine censura menavit saepius, adductus Neumeisterus l. c. p. 107.

henderem, *Laurentium* innuo *Finckelthufium*,
 qui in hac amplissima civitate Syndicatum
 magna cum laude gessit, & varia carmina
 Latina, atque inter ea, sacra quoque, confe-
 cit, à pietate mea, quam Viro huic clarissi-
 mo, unam mecum patriam agnoscenti, de-
 beo, haud alienum fore existimavi, si illius
 quoque memoriam hoc in loco instaurarem,
 deque carminibus ejus nonnihil commenta-
 rer. Quapropter, reliquis nunc prætermis-
 si, huius tantum *Syndici*, Poëtices utpote pe-
 ritissimi, virtutes ac res gestas brevi oratione
 describere animo decrevi, eo quod neque
Olaus Borrichius, in *Dissertationibus*, de Poëtis, (12)
 nec *Michaël Filizius*, in *Specimine Analecto-
 rum ad Borrichichianas Dissertationes*, (13) ejus
 meminerint, atque tam præclari Viri Poëma-
 ta è tenebris in lucem revocari mereantur.
 Incredibili autem amore eum castam Poësin
 excepisse, ac viros præstantissimos imitatum
 fuisse, ipse *Finckelthufius* noster diffiteri non
 potuit, in *Præfatione Poëmatum Latinorum*,
 amplissimis Civitatum Hanseaticarum Proceri-
 bus oblatores, ita scribens: “ Inter recen-“
 tiores & nostri seculi homines, qui *Solonem*“
Apollini & *Musas* legibus conciliare studue-“
 runt, præ cæteris insigniores sunt & agmen“
 quasi ducunt *Alciati*, *Grybaldi*, *Mynfin-*“
 ge-“

A 4

12) Conjunctim illius *Dissertationes Academicae* a. 1683
Francofurti prodierunt in 4to.
 13) Lucem publicam istud adspexit *Lipsia* 1696.

„geri, Wefenbecii, Beustii, Peiferi, Reu-
 „fneri, Schöffleri, Lauterbachii, & similes;
 „quorum ingeniosa scripta passim extant &
 „quorum laudem ac decus affectare ut stulti
 „est & arrogantis; ita ductum horum sequi,
 „& vestigiis eorundem inharere, non video
 „cur improbari possit. Eaque nimirum cau-
 „sa fuit inter alias complures, (ut de me
 „quoque, pace tamen vestra aliqua sed par-
 „ce referam) quod adolescens ante annos cir-
 „citer viginti sex singulari amore nobilissimæ
 „Poeseos illectus, versibus condendis qua-
 „lemcunqve operam navarem, posteaque in
 „ætate confirmata magis & roborata, etiam
 „graviorum artium scientiæ addictus, succi-
 „sivis quandoque horis ad id genus exercitii
 „liberalis, jure quasi postliminii, redeun-
 „dum mihi esse censerem: præsertim menti
 „oculisque subinde meis obversante gravissi-
 „mo judicio Græcæ Latinæque literaturæ pa-
 „rentis, Joachimi Camerarii, sanctæ lauda-
 „tæque memoriæ, quod vir ille summus pla-
 „neque incomparabilis, olim, dum viveret,
 „Carminè phalæcio, ad me discipulum scri-
 „pto, pro suo erga omnes humanitate & can-
 „dore, verbis sequentibus de arte metrica
 „expofuit:

„*His non sit studiis tibi pudori*

„*Nunc ætate operam dedisse in ista,*

„*Quæ laudem ingenii decusque cuncta*

„Do

- „Doctrina cumulado sola complent.
 „Quamvis forte homines ineruditi
 „Quidam ceu levia atque parva spernant,
 „Et nugas putet illa vulgus esse:
 „Longe res aliter profecto cum sit.
 „Quod credas mihi tu non imperito
 „Prorsus, judiciove destituto.
 „Rebus de utilibus, bonis, honestis,
 „Diversum licet hic & ille clamet.

Quoniam vero lusus illos juveniles, & cæ-
 teras nugas meas Poëticas, magna quidem
 ex parte jamdudum Lipsiæ aliisque in locis
 Saxonix superioris editas, & deinde cum
 reliquiis in usum quasi corpus redactas, li-
 brisque ceu partibus certis distinctas, anno
 superiori, quantum per occupationes licuit,
 recognovi, & de consilio atque voluntate
 quorundam non male mihi cupientium, ty-
 pographo excudendas commisi: singulari,
 ut ego auguror, fato, vel potius provi-
 dentia divina, factum est, ut opusculi illius
 editio, hætenus quidem impedimentorum
 multiplicium interventu protracta, in hoc
 ipsum tempus incidere, quo conventus in-
 clitæ Hansæ sociarum civitatum hic celebra-
 tur. Hæc autem verba ideo adducenda &
 repetenda esse existimavi, ut declararem, il-
 lum Jurisprudentiæ studium cum arte poëti-
 ca conjunxisse, multumque jucunditatis at-
 que emolumentum ex hac subinde percepisse.

Prodeat ergo nunc, pace vestra, *Auditores colendi plurimum & amandi*, in conspectum vestrum *Laurentius Finckelthufius*, qui & *Poëta* fuit, vel, ut rectius loquar, *Luscinia Musarum*, & *Syndici* simul dignitatem in hac Imperiali & libera civitate sustinuit, cujus corpus exanime quidem ante centum & quindecim annos in sepulchro fuit conditum, animus tamen ad cœlestia evocatus gaudia divus morte carens æterna gratam sui memoriam exigit, atque, ut sera posteritas virtutes ejus suspiciat & imitetur, jure suo imperat. De illo autem verba jam facturus, ea tantum breviter strictumque commemorabo, quæ ex scriptis ipsius probari poterunt, indubitatis innixa testimoniis, reliqua aliis permissurus, quibus plenior & accuratior, vel de gente ipsius perquam celebri, vel de virtutibus ejus præstantissimis, narrationem dare erit integrum. Annus quidem ac hora natalis mihi non est comperta, solum tamen natale ignotum non est. Patria enim ipsi contigit *Lipsia*, celeberrima illa civitas, ac *Musarum Ocellus*, imo *fœcundissima optimorum ingeniorum Genitrix*. Patrem habuit sibi cognominem *Laurentium Finckelthufium*, *Erturdio-Thuringum*, *Reipublicæ Lipsiensis Senatorem* (14),
ac

14) *Curia Lipsiensi adscriptus fuit A. 1575. teste Tobia Heydenreichio, in Chron. Lips. Indiculo Consuluum ac Senatorum.*

ac Prætozem (15), Anno millesimo quingentesimo & octogesimo, ob præmaturum filia ex hac vita discessum morte inopina correptum, (16), cum annos quinquaginta quatuor vivendo exegisset, cui hoc scriptum est Epitaphium (17):

Hoc FINCKELTHUSI corpus mortale sepulcro

Conditur, ætheria spiritus arce sedet.

Quæ multos blando lusit fors lubrica vultu

Hunc sublatum humili vexit ad alta loco.

Ac Titulis adjecit opus animumque fruendi,

Uxores, natos contulit atque domum.

Cuncta referre mora est fortunæ dona benigna,

Egregiis animi suppeditata bonis.

Defuit his ætas tantum. Sed nemo beatus

Ex omni vitæ parte sub orbe fuit.

Hoc est, fata sui cur Lipsia Judicis orba

Immatura dolens optet habere parem.

Mater fuit Margaretha Finckelthusia, anno sexagesimo octavo seculi decimi sexti denata (18), in cujus tumulum Gregorii Bersmanni legitur Epigramma:

Au-

15) A. 1580. Præturæ admotus fuit, eodem *Heydenreichio* notante. Quam dignitatem pia gratulatione excepit *Georgius Vogelinius*, quæ in *Poëmatibus* nostri invenitur, lit. E. e.

16) Causam mortis indicavit diligentissimus Historiæ patriæ scriptor, *M. Jo. Jac. Vogelius*, Civis meus cum cura colendus, in *Annalibus Lipsiensibus* f. 242.

17) Copiam istius fecit *M. Sal. Steppnerus* in *Inscript. Lipsiensibus* p. 21, & laudatus *Vogelius* f. 243. Add. *D. Nicol. Selneckeri Funebr.* P. I. p. 167.

18) Eodem *Steppnero* notante l. c. p. 21. § 53.

*Auratis dignæ loculis & nomine dignæ
 Hic MARGARITÆ continet ossa lapis.
 Quæ sata non humili geminorum stirpe parentum
 Moribus ornavit nomen utrumque suis.
 Obsequio venerata Deum, jucunda marito
 Officiis, Domini nutibus apta regi.
 Bis quater egregio quem fecit pignore patrem.
 Militia in sexus fœmina gnava sui.
 Vivit in ingenio natorum reddita terræ:
 Vivit in ore viri mente recepta polo.*

Inter filios autem, quos enixa est mater, *Laurentius* noster primus lucem publicam adspexit, reliqui autem fuerunt *Christophorus, Adolarius, & Hieronymus*, è quibus *Hieronymus*, adolescens modestus ac literatus, diem suum obiit Anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto, cum nondum annum ætatis decimum & nonum finiisset (19). In tenera autem ætate animum discendi cupidum, à *Viris*, quos seculum illud habuit, præstantissimis, in *illustri Schola Misnensi*, ingenuis artibus perpolitum fuisse, inde constare credo, quod *Veros* in omni eruditionis & virtutis genere perfectos, *Georgium Fabricium*, (20) &
 Hio-

19) Mentionem ejus ac reliquorum fratrum, nec non sororum, *Anne Oetwinie*, (cujus maritus *D. Jo. Oetwinus* fuit, prout ex carmine nuptiali, quo *Ποῦδης* excepit, colligi potest) *Mariæ Magdalensæ, & Maltheræ*, facit adductus *Stepnerus l. c. p. 55. coll. D. Nic. Selnecceri Funer. P. 2. p. 51. sqq.*

20) Non immerite eundem propterea inter discipulos
 Fabri-

Hiobum Magdeburgum, (21) inter Præceptores suos numeravit, eosque exasciatis carminibus condecoravit. Quibus Doctorem, quem habuit, Academicum, Gregorium Bersmannum, Poëtam prorsus eximium, adjungo, in cujus nuptiis, cum Magdalena Helbornia celebratis, noſter, grati animi documentum editurus, ita cecinit :

*Vellem equidem celebrare viri præconia versu,
Virtutisque nitens ingeniique decus.*

*Et merito: quoniam jam frugibus area trita
Est quater, & fugiens quarta cucurrit hyems :*

*Bersmannus cum me tenerum suscepit alumnum,
Apta Medusæo labra liquore rigans.*

*Eloquar an taceam, quantum sudaverit ille,
Aonii collis dum mihi pandit iter ?*

*Saxa per & scopulos & devia rura vagantem
Dum certo docuit tramite ferre pedes ?*

*Eloquar, & quanto puerum complexus amore
Foverit, ut sobolem cura paterna suam ?*

*Quod mihi Thespiadum placido pater annuit ore,
Bersmanni effecit recta docentis opus.*

*Ni me Bersmanni labor erudiisset inertem,
Nescirem superis qui sit habendus honos.*

Ut

Fabricii, ad amplissimas dignitates eVectos, retulit diligentissimus insignis hujus Doctoris scriptor, atque eruditissimus Vir, M. Jo. Dav. Schreberus, in Vita Georgii Fabricii p. 257.

(21) Probari hoc potest nitido illo carmine, quo hunc magistravit, Præceptorem suum vocans, quodque nuper

Athe-

Ut reliqua non attingam carmina, quæ ad eundem *Bersmannum* scripsit, cum modo in Saxoniam inferiorem peregrinationem suscepisset, modo novi anni auspiciam fecisset, in illis enim fatis abunde testatus est, se Præceptoris sui fidem industriamque animo omnino memori recoluisse. Ast cum Academicis studiis maturus judicaretur, magnum cum primis Virum, immortale illud, Academia Lipsiensis, ac meliorum literarum, decus, *Joachimum Camerarium*, est secutus, ejusque favorem profus inusitatum invidendis plane modis expertus. Ceterum cum noster ingenii periclitandi causa orationem panegyricam de Divo *Johanne Baptista* in conventu Academico Doctorum solenni publice recitasset, *Camerarius Laurentio* autor erat & svasor, ut pari studio ac doctrina *Laurentii Martyris* fata numeris adstringeret, ac decantaret. Labet autem *carmen*, quo eundem stimulavit accenditque, hic repetere, ut nostri intelligant, Viros doctissimos haud aspernari laudabiles juvenum conatus:

Laurenti Aonidum sororum amator

Et cultor pius artium bonarum,

Dum nuper studiis renunciatur

De-

Athenarum Lubecensium Parti IV. p. 90. sq. inseruit supra nominatus à Seelen.

22) Fuscæ de illo commentatus est *Melchior Adamus* in *Vitis Philosophorum*, p. 503. sqq. coll. D. *Jo. Christoph. Beckmanni Histor. Anhalt. P. VII. f. 329. sqq.*

Decretus titulus tuis honorum,
 Versus tum recitare te putarem
 In charta, modo uti fit, exaratos,
 Mox intelligo comprehensione,
 Primi de memorisque mentis illos
 Proferisqve ita libera ore vocis.
 Id quod valde animo meo probavi,
 Ut factum ingenuo labore dignum.
 Atqve illam historiam, quia eleganter
 Baptistæ placuit tibi explicare
 Apto tempore, nunc velim celebres
 Quem cognominem habes, diesqve cuius
 Multis nomine cum rubente fastis
 Jam veriente redit notatus anno,
 Præstantem pietate singulari,
 Spectatumqve fidelitate mira,
 Fortis robore pectorisqve clarum,
 Christi & religione confitenda,
 Perpeffus horribilis necis dolores,
 Sic ut sperneret illam atrocitatem.

Nec monenti difficilem se præbuit, sed orationem panegyricam, seu carmen nitidum, elegans, ac omnibus numeris absolutum, de Divo Laurentio publice solenniterqve recitavit. Sed cum postea legum civilium pernoscendarum esset cupidus, easqve recte intelligere & interpretari, atqve Jurisconsultum agere sibi proposuisset, Præceptores hujus disciplinæ peritissimos quæsit, quæritos invenit, inventosqve magna assiduitate consuluit. E quibus Jacobum Thomini-

gium, Collegii Jurisconsultorum Lipsiensium
 præsidem, adduco, quem præceptorem suum
 vocavit, & cuius favorem verbis mellitissimis
 sibi exoravit :

*Ille ego sacrati meditor dum Juris Alumnus,
 Ignarus rectum carpere juris iter.
 Te mihi Doctorem, te, clare Jacobe, viarum
 In vasto legum gurgite posco ducem.
 Eja age Doctorem flos delibate Thomingi
 Eloqvii genitor, Pegafidumve decus.
 O legum interpres divine, o juris amussis,
 Unica justitiæ stella, corona fori,
 Quem Themis ipsa colit, cui flavus surgit Elister,
 Audita cujus voce Lycea stupent.
 Quem Rhodanus (non vana loquor) quem su-
 spicit Arnus,
 Teutoniæ ceu vix extulit ora parem,
 Eja age conanti sacras mihi discere leges
 Annue, nec promptam subtrahere, quæso,
 manum.
 Te DEUS artificem Juris præfecit & æquo,
 Artificis partes suscipis, arte juvans.
 Da mihi te placidum, qualem tu sæpe dedisti
 Discipulis, qualem sensit amica cohors.*

In sacrarium ergo Jurisprudentiæ intromissus
 omni animi contentione veterum ac recentio-
 rum monumenta discussit, atque legum rationes
 sibi reddidit tam perspectas, ut editis prius &
 approbatis doctrinæ speciminibus, ad supre-
 mos

mos in Jure, honores adspirare 23) potuerit. Jis vero, post consecutum supremum in Philosophia titulum, atque peregrinationem exantlatam, 24) legitime impetratis, Virum se postea præstitit,

B

23) Eos autem *Jenæ* obtinuisse fertur, Promotore *D. Matthia Colero*, ceu in *D. Pauli Freheri Theatro Eru- ditorum* f. 971. annotatum legitur, qui tamen perperam refert, *Lipsiæ* illud fuisse factum.

24) Vocat enim eundem Magistrum, in *Carmine* votivo, *Christianus Egenolphus*, quò eundem & Juris Candidatum & Sponsum excepit, nec non *M. Wolfgangus Krügerus* in *Catal. illustr. & claror. Viror.* p. 177. Labet autem nonnulla ex *M. Hulderici Schoberi* carmine nuptiali excerpta, quippe quæ & studia, diversis in *Academiis* exulta, & iter eius literarium, nec non honestatem morum enarrant & commendant:

“A puero sanctis cum moribus imbibit artes,

Et decus Aonias credidit esse sequi.

Hinc Musis dignos assuevit ludere versus,

Hinc vatium vates cœpit adesse choro.

Mitibus à studiis tandem vigilare severis

Aggressus, Genio pelliciente, fuit.

Cum placidis bene stat Themis ingeniosa Camoenis,

Hinc igitur coepit deditus esse Deæ.

Hanc coluit *Jenæ*, coluit prope flumen *Elystrum*,

Albis & in celebri nomen habente schola.

Ac ceu *Christophoro* clarissima Gallia fratri

Cognita, sic illi terra Latina fuit.

Quo comes & fidus Comitum Præceptor *Othonis*

Mansfeldi, longum suscipiebat iter.

Hic simul ut cœptam pertexuit ordine telam,

Eximie legum doctus in arte, redit:

Sed prius in patriam quam tenderet, omnia vidit,

Quæ magnum norat visa decere virum.

Post *Jenam* rediens summos Doctoris honores

Egregia juris cognitione talit.

Hos

tit; & singulis, qui ipsius operam exquire-
rent, abunde satis declaravit, se consultum
juris & actorem causarum esse non vulgarem,
nec iis accensendum, qui jus corrumpunt,
atque bona civium instituta depravant, sed
a quibus integræ civitates magnam sibi pro-
mittere possent utilitatem. *Domus enim Juris-*
Consulti totius oraculum civitatis, ut Cicero (25)
monet, esse debet. Hinc ad lectiones solen-
nes, quæ feriis canicularibus haberi solent,
& svavia otia ordinariis doctoribus impertiunt,
admissus, egregiam *Commentationem, de Recti-*
tudine Jurisprudentiæ & Causis mutationis legum
contra vituperatores legalis disciplinæ, publica
oratione, Anno millesimo, sexcentesimo,
octogesimo octavo, instituit, quam, cum *Lu-*
becæ Syndicum ageret, multis accessionibus
auctam, decennio post *Rostochii* imprimi cu-
ravit, ac *Friderico Guilielmo*, Duci Saxonix,
& Electoratus ejusdem Administratori, im-
mortali memoria dignissimo, ac nunquam sa-
tis celebrando veræ doctrinæ amplificatori,
cujus jussu & voluntate causarum forensium
tractationi destinatus erat *Lipsiæ*, devotissimo
mentis cultu obtulit. Quamvis autem Acade-
mi-

Hos variæ dotes, quas vix numeraveris, augent,

In vultu gravitas, cum gravitate charis.

Ecce quis oris honos? placitæ quæ gratia formæ?

Quis lepor in verbis? quam sine labe fides? &c.

25) de *Oratore* c. 45.

micæ Cathedræ *Finckelthufium* nunquam ordinarie admotum fuiffe fciam, patriæ tamen commodis infervire allaboravit, cum in *Scabinorum* Collegium reciperetur, atqve de jure ipfi effet respondendum. Indicavit id ipfum *Erhardus Lauterbachius*, qui ipfius convictu ufus eft, (26) in carmine, quo *Lipfiæ* valedicentem eft profecutus :

*Nonne Scabinorum decus es? multisqve peritus
Judiciis, clarum nomen ubiqve tenes?
Nonne bonum variis commune æquiffima dictas
Jura, procul fuerint, fivè propinqua, locis?*

B 2

Nec

26) Exiftimo autem, *Lauterbachium* tunc temporis tum duos priyignos *Finckelthufianos*, tum ipfius quoqve binos *Natos* literis instituiſſe. Sequentia enim in *Homi- lia funebri*, quæ in exequiis *D. Erhardi Lauterbachii*, Præfulis Epifcopatus Cizensis, anno ætatis octogefimo fere exacto, A. 1649. demortui, à *M. Hartmanno Schachero*, Templi Michaëlitani, quod *Ciza* eft, Archidiacono, habita eft, leguntur: Er hat A. 1594. bald nach dem Oftermarekte, eine Scholam privatam eröffnet, und dabey durch Gottes Segen guten Zuſchlag gehabt, da ihm den Herr *D. Zacharias Schilter*, und *D. Burchardus Harbart*, Theologi, vornehmer Leute Söhne zugewieſen, worbey er ſichs auch ziemlich ſauer hat werden laſſen. Imo ipſe *Lauterbachius*, ſi recte conjicio, eo respicere videtur, in *Carmine* illo, quo iter ipfius *Lubecenſe* eft profecutus, ita canens :

*Multa voluntatis promptæ monumenta dedifti,
Signaqve candoris non ſimulata tui.
Tres meſes bene me tua menſa cibavit & annum,
Quo tua cognitio reddita nota mihi
Carminebus doctis, Græco & Sermone Latino
Italicogve tibi ludere cura fuit.*

Nec alia mens fuit *Jo. Albino*, Professori Poë-
tices publico, ita de nostro pronuntianti, ac
Lubecam profecturum dimittenti:

Illæ Scabinorum, quibus inçlyta Lipsia gaudet,

Clarorumque Virum gloria, juris honos:

Vir præstans animi, doctrina nobilis alta,

Cui Phæbus summè Pieridesque favent;

Discedit patria modo Fiuçkelthufins urbe &c.

At enim vero non patriæ solum bono natus,
sed *Lubecensium* quoque salutis destinatus erat,
hinc ad splendidum *Syndici* munus, vivente
adhuc *D. Calixto Scheino*, 27) evocatus 28) per
de-

27) E vivis autem exesit hic *Syndicus Lubecensis* an. MDC.
d. IV. Novembris. Cujus memoriam lapis sepulchralis,
qui in æde *D. Jacobo* sacrata visitur, posteris commen-
dat; hac epigraphe conspicuus: NOBIL. CLAR. ET
DOCT. VIR, D. CALIXTUS SCHEIN, I. V. D. IL-
LVSTRISS. PRINC. D. D. FRIDER. II. REG. DAN. AC
D. D. IOH. ALBER. DVC. MEGAP. NEC NON D. D.
FRANC. DVC. SAX. CONSIL. - - - REIP. LVB.
XXXVI. ANNOS SYND. - - OBDOR - - - ÆTA-
TIS SVÆ LXXI. Non sine laude eius meminit *Geor-
gius Fabricius* in *Annal. Urbis Misena*, p. 210. ad Ann.
MDLIV. VALENTINUS SCHEINUS obit Cal. Novemb.
urbis scriba: qui reliquit filium *Calixtum* *Jureconsultum*,
inclita urbis *Lubeca* in *Saxonia* *Doctorem*, & ad
Cæsarem, regem *Dania*, aliosque principes legatum, vi-
rum gravem & disertum.

28) Factum hoc est A. 1596. prout ex Carmine, quo *M. Jo.
Friderichus*, Orator, Prof. publ. & *Academiæ Lipsiensis*
tunc temporis *Rector*, eum, quem *Compatriem*, *Fau-
torem*, & *amicum honorandum* appellat, *Lubecam* pro-
ectu-

decennium ferme illud cum magno Senatus illustri civiumque applausu & emolumento sustinuit, ac spem de se conceptam non tantam omni ex parte implevit, sed superavit etiam felicissime. Testantur enim illud consilia utilissima, quæ publicæ tranquillitatis causa suggestit, peregrinationes ad Reges & populos longe disitos cum laude susceptæ, aliaque negotia, quæ & Viri consultissimi doctrinam, & prudentiam, & pietatem, quæ in DEum ferebatur, eximiam, luculentis testimoniis comprobant. Ast dum pietatis ipsius mentio nunc facta est, silentio prætermittere hand possum, *Finckelthufium* nostrum veræ cum primis doctrinæ, seu Theologiæ, fuisse studiosissimum. Illam enim nec averfabatur, nec convitiis excipiebat, sicut nonnulli hac nostra ætate facere assolent, sed extollebat eandem, commendabat aliis, ac defendebat. In majorem rei fidem ad ipsius verba, quæ in ejus *Commentatiuncula, sive Oratione, de Certitudine Jurisprudentiæ & Causis mutationis legum*, Anno, ut supra dictum, millesimo quingentesimo octogesimo octavo, in Academia Lipsiensi

B 3

pu-

fecturum prosecutus est, colligi potest. *Friderichum* vero æstivo tempore istius anni Rectoratum gessisse, Annales Lipsienses testantur. In *Libello Historico*, qui admodum Rever. Ordinis sacri Seniores, *Jac. à Melle*, autorem habet, seu *Gründl. Nachricht von der Stadt Lübeck*, p. 67. dies octavus Julii notatur, quo muneri huic adnotus fuit.

publice recitata, inveniuntur, provocare nunc allubescit: *Inter Theologos quam multi passim libelli famosi, ut patrum memoria, sic nostra etiam etate, contra sinceræ religionis propugnatores circumvolitent: rixis, altercationibus omnia perstrepant, & totus pene orbis terrarum obtundatur, nemo Christianorum est, qui non animadvertat, qui tam infelicem ingeniorum lainenam non deploret. At nullus tamen reperitur tam perditioni profli-gatiqve animi, ut ob id Theologiæ Sacrosanctam majestatem contemnat, eamve omnium disciplina-rum laudibus longe lateqve antepone-re vereatur. Verum nec illud reticere hic debet, quippe quod inter præcipua pietatis Finckelbusiana documenta referendum esse non sine causa judico, nostrum à facris, Divi Lutheri studio feliciter emendatis, ne latum ungvem discesfisse, nec Reformatorum, prout dici malunt, unquam adhæfisse sententiis. Non ignotum enim illis est, qui historiam istius temporis sibi reddiderunt cognitam, in Electoratu Saxoniae, quam plurimos eruditorum extitisse, qui à Formula Concordiæ penitus abhorruerunt, nec eandem subscriptione ingenua approbari posse judicarunt. Inter hos Gregorius quoque Bersmannus locum suum obtinebat, qui solum propterea vertere ac Lipsia discedere cogebatur, aliosqve autoritate sua facile permovebat, ut eundem librum pariter non*

re-

reciperent. (29) *Quamvis autem Finckelthufius magni haberet ac miraretur Bersmannum suum, insignem artis Poëtices Doctorem Lipsiensem, ejus tamen exemplum hac in parte seqvi, atqve Reinero Bachosio Echio, (30)*

B 4

aliis-

- 29) *Prolixè id indicavit post Melchior. Adamum in Vitis German. Philosophor. p. 505. sq. clarissimus Poëta Lipsiensis, Jo. Heinricus Ernesti, in Orat. solenni, de Professoribus Poëticis in Academia Lips. docentibus, p. 13. sqq.*
- 30) *Hunc Bersmannianæ disciplinae alumnum vocat modo nominatus Adamus l.c. p. 506. qui prolixè in Vitis Germanorum 7ctorum p. 470. de eo refert, quod dignitate Consulis & Scabini Lipsiensis privatus fuerit, ob denegatam Formulæ Concordiæ approbationem. Sed ipse Bachosius in Catechesi religionis, quæ in Ecclesiis & Scholis Electoralis Palatinatus traditur, testimoniis sacrae Scripturae, ac sententiis sanctorum, qui primis quingentis à Christo nato annis in Ecclesia Dei claruerunt, exornata & illustrata, (quam, cum Electoralis Palatinatus Prætozem ageret, Hanovia A. MDCIII. edi curavit, & propaganda veritatis Evangelicæ studio edidisse dicitur Adamo l.c. p. 472.) eiusque Præfatione, verbis disertis causam ejectionis commemorat. Ipsius itaqve verba hic apponenda esse censui: Quum ante decennium post illustrissimæ & pientissimæ Principis & Domini, Domini Christiani, Electoris Saxonie, piis & bonis omnibus lætuosissimum obitum, tempestas facta (ad reproborum excacationem, fidelium autem & electorum partim probationem, partim institutionem) in Misnia divinitus excitata, me Lipsia discedere cõgisset, atqve ita à muneribus publicis vacationem adeptus, ocium diuturnum agerem, animum ad Theologiæ studium, jam clim à me propter Reipublica negotia, non quidem plane intermissum, sed minus frequenter tractatum, revocare cœpi. Quo in*
flu-

aiusque, se adungere noluit, rectissime arbitratus, causam Dei & Servatoris generis humani præceptorum voluntati præferendam, atque amicis usque ad aram tantum esse opitulandum. Tenera enim res conscientia est, quæ nulla ratione enormibus delictis contaminari potest, nec vera doctrina pravis opinionibus, quas vel ratio suggerit, vel præjudicia præbent, ulla ratione corrumpi debet, aut amitti. Hac enim neglecta ac deperdita, vix ac ne vix quidem, magno licet labore infumpto, recuperabitur. Sed è diverticulo in viam nunc redeo. Ad conjugium *Finckelthussii* igitur deveniens, illud, post impetratos in Academia Jenensi honores (31), sub auspiciis Anni millesimi quingentesimi octogesimi

quin-

studio, ut majore cum fructu versari, meque in doctrina religionis orthodoxa, quam Ecclesie Palatinatus profiterentur, confirmatiorem reddere possem, ex scriptura sacra, & primitivæ Ecclesie Doctorum monumentis, testimonia & sententias, quibus non solum doctrina cælestis veritatis illustratur, verum etiam singula propemodum Catecheos Palatinæ membra comprobantur, studiose collegi.

31) Eò respicit M. Bartholomæus Waltherus in Epithalamio scripto :

*Mox ad Salani præsides
Sponsus Lycei mittitur.
Ut consequatur splendida
Mitra rubentis premia,
Reversus expetit diu
Desideratas nuptias
Sponsamque dilectissimam
Mille excipit complexibus.*

qvinti contraxit cum vidua *Magdalena Hagia*,
 ex antiqva & celebri *Abbatum* gente oriunda,
 (32) & duobus filiis, *Francisco* & *Brunone* ab
Hagen, in primo conjugio fuceptis, (33) au-
 cta, qvæ duobus itidem Natis, *Laurentio The-*
odoro, & *Sigismundo*, atqve unīca Nata, *Re-*
gina, (34) eum *Lipsiæ* patrem fecit. Num

B 5

ve-

32) In laudem ipsius familiæ *M. Huldericus Schoberus* in
Carmine Elegiaco, *Finckelthufii Poematibus* inserto, ita
 cecinit:

Splendida commendant maiorum nomina sponsam,
Nec levis à fratris gloria laude venit.

CONSUL avus. genitor *Philyreide PRÆTOR* (†) in urbe
In magna visus vivere luce fuit.

Frater ad Ausonios & Gallica regna profectus
Æternum (††) *Paullus* rettulit inde decus.

Hic legum Doctor cum laude clientibus ampla,
Civica respondens promere iura solet.

(†) *Christophorus* scilicet *Abbas*, qvi A. 1543. Senatoris,
 1564. Prætoris, & 1565. Ædilis dignitatem obtinuit,
 atqve 1574. de vita hac discessit.

(††) In numerum *Consiliorum Aulicorum Coburgensium*
 A. 1585. fuit receptus, atqve 1597. iterum dimis-
 sus, notante *D. G. P. Hönnio* in *Chron. Coburg. P. I. p. 57.*
Ceterum Magdalena viri tanti decus optimum, vera
religionis amans tempus in omne vocatur *Lauterbachio*
 in *Carmine* supra adducto.

33) Hos *Lipsiæ* remanuisse, eorum carmina testantur. Ita
 enim *Franciscus ab Hagen* modulatus est:

Lipsensi hinc abiens committis deinde Lyceo,
Ut liceat studiis invigilare bonis.

34) Hæc nupsit *Jo. Schœnbachio*, Jcto, & Seniori Capituli
Slesvicensis ac *Consiliario Aulæ Danicæ*, atqve A. 1624.
Haderslebiæ filiam peperit, *Annam Reginam*, qvæ A.

1639

vero postea *Lubecæ* fœcunda esse defierit, scio cum ignarissimus. Sed dum *Poëtam Finckelthufum* esse modo dixi, paucis adhuc ipsius *Poëmata*, quæ elaboravit, erunt indicanda. Illa quidem, anteqvam *Lubecam* veniret, particulatim fuere edita, postea vero, cum hanc civitatem intrasset, in unum quasi corpus congesta, & certis libris fuere distincta. Hinc *Liber primus & secundus Carmina* complectitur *sacra*, in quibus *Historiam Nativitatis Messie* exposuit, *Psalium XXII.* carmine Elegiaco circumdedit, de merito *salutiferæ mortis & gloriosi in vitam reditus Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi*, differuit, nec non duos illos
Hy-

1639. primum fidem conjugalem addixit *Christiano ab Hatten*, Consiliario Slesvic. quem octies fecit parentem, post ipsius discessum, *Oldenburgi A. 1656.* factum, *A. 1658.* ad secunda vota transiit, atque *Jo. Paulsen*, Residenti *Daniæ Regis Lubecensi*, usque ad placidum eius obitum, qui *Lubecæ A. 1667.* contigit, constanter adhæsit, ac quatuor liberos obtulit, quæ tamen *A. 1674.* annum ætatis quinquagesimum primum agens, ex hac vita evocabatur. In ipsius exequiis verba fecit ad populum *Mauritius Langius*, Pastor *Hambergenfis*, verba *Pauli I. Thess. V. v. 10.* explanando. Ast *Anna Regina Hattenia A. 1646.* *Oldenburgi* enixa est *Reginam Elisabetham*, quæ *A. 1664.* *D. Nicolao Schwabio*, *Jcto Rendesburgenfi*, matrimonio iuncta, unica filiæ mater facta fuit, illoque orbata *A. 1673.* *D. Heinricho Seedorffio* in manus fuit tradita, usque dum *A. 1678.* anno ætatis trigesimo secundo, ac duobus mensibus exactis, placida morte ex phthisi contracta solveretur. In ipsius funere sermonem sacrum in *Pf. 34. v. 20, 21.* habuit modo adductus *Mauritius Langius*.

Hymnos, & Latinum, à *folis ortus cardine*, & vernaculum: *Jesus Christus, unser Heiland, der den Todt überwandt*, aliasque *pias precatiunculas*, numeris adstrictas exhibuit, ut *orationes illas Panegyricas*, quas modò adduxi, in laudem *Joannis Baptistae & Laurentii Martyris*, scriptas, praetermittam. *Tertius liber Elegias* fistit, de variis argumentis confectas, è quibus illam tantum adducam, quæ *Odam XVI. Horatii Flacci*, quæ hesternæ luce fuit exposita, & singulos forte sua contentos vivere jubet, doctè satis nec inconcinne est interpretatus. Istos excipiunt *Carminum Nuptialium Libri duo*, & *Epicedion Liber*, ac *Sylvarum Liber*, miscella argumenta insinuans. His subjunctus est *Carminum adoptivorum Liber*, seu, ea Carmina, quæ ipsi a Præceptoribus & Amicis fuere scripta. Singulæ autem literæ, apices, verba, ac versus Lectores edocent, *Finckelthufium*, elegantissimi ingenii Poëtam, à Musis intra velum edoctum, atque ab imis & summis magni fuisse habitum, ac merito suo commendatum 35). Sed qualem tandem vitæ exitum nactus est noster Poëta? Tristem sane atque ab ipsis Musis largissimis deplorandum lacrymis! Cruentus enim ex hac vita migravit, cum a furibundo famulo, quem objurgaverat, cultro esset fauciatus. (36)

O

(35) Poëmata *Finckelthufii Rostochii* A. MDCIIC, in 4to prodire. 36) Designavit istud facinus horrendum *Nicolaus Schmidius* A. MDCVI, d. X. Martii,

O immane scelus ! O scelestam manum, quæ
 egregio huic Viro vitam ademit, & civitatem
 Syndico, uxorem marito, liberos parente, ami-
 cos amico, Poëtas ac literas ornamento & Pa-
 trono privavit ! Poenas quidem homicida ma-
 lefanus luit justissimas, (37) at Respublica
 hæc

37) Rem omnem, prout gesta est, enarrat *Liber judicialis*,
 qui *Lubeca* in Archivo inferioris iudicii asservatur, hisce
 verbis : Claus Schmidt, bey der Elbe zu Brockforff in
 der Wilstermarsch zu Hause gehörend, ohngesehr von
 20. Jahren, hat vor denen H.Hrn. des Gerichts und dem
 Gericht-Schreiber gutwillig bekant, daß er bald 5. Jahr
 bey Hrn. D. Finckelthaus gedienet habe; wisse nicht, wie
 er dazu gekommen sey, daß er seinen Herrn erstochen ha-
 be, er sey aus dem Hofe gekommen umb halb 2. Uhr ge-
 stern Nachmittag. Die Frau hätte ihm gesaget, daß er
 Garn nach dem Leinweber tragen solte, er hätte geant-
 wortet, daß solches die Wragd thun solte. Darauff hätte
 die Frau geantwortet, er solte thun was sie ihm beföhle,
 er hätte geantwortet, er wolte thun, was ihm sein Herr
 beföhle. Darauff hätte die Frau mit einer Mörser-
 Reule fluchs auf ihm zugeschlagen, darüber der Herr
 Doct. aus der Stube gekommen sey, hätte nichts
 gesagt, sondern zu ihm mit Fäusten eingeschlagen. Er
 hätte nicht gehöret, daß die Frau zu dem Hrn. Doct.
 sonst etwas solte geredet haben, sondern es hätte der
 Herr Doct. ohne Vorwort zu ihm mit Fäusten einge-
 schmissen, darüber er verursachet sey, und hätte sein Mes-
 ser, so er in der Scheide im Schieb-Sack gehabt, aus-
 gezogen, und von sich gestochen, er wisse nicht, wie er
 den Herrn Doct. getroffen habe. D. Joh. Schönbeke
 hätte ihm das Messer aus der Faust gerissen. Hat be-
 kant, daß er leyder Gottes dem Herrn Doct. die Wunden
 beygebracht habe. Es sey ihm von Herzen leyd. Gott
 mo:

hæc amplissima ac literaria spoliata fuit Viro, eruditionis & consiliorum laude maxime conspicuo, ejusqve luctuosum ex hac vita egressum lacrymis profecuta est acerbissimis. Nonne infelix hoc fatum fuit, quod Poëtam huncce nostrum subire oportuit? (38) Nonne minifter hic iniquissime egit cum hero suo, quem parentis loco venerari debuisset? (39) Meliora autem

möge ihm seine Sünde vergeben. Zeugen Jürgen Eivagel und Hans Puls, Bürgere zu Lübeck. Diese Bekantnis ist dem inhaftirten Claus Schmidt in Unwesenheit der H. Hrn. des Gerichts und des Gericht-Schreibers anderweit vorgehalten worden; und hat dieselbe wahr zu seyn bekant, Zeugen Joachim Röder und Rötger Göbel. Actum den 14. Martii 1606. - - - -
Hierumb ist dieser delinquent vor dem Burgthor auff dem Berge decolliret worden. Exeqviret den 1. April. 1606.

- 38) Reliquis ergo Poëtis adiungendus est Noster, qui acerbum ex hoc mundi theatro discessum sortiti sunt, de quibus prolixè egit Vir longiore vita dignissimus, *Davidus Theodosius Lehmannus*, Pœeseos in Academ. Vittemb. Professor, in *duabus dissertationibus*, *Casus Poëtarum tragicos*, A. MDCCXIV. exhibentibus.
- 39) Nec dissimilia passim reperiuntur exempla. Sic sub anni 1559. initium *Joach. Gryphiswaldium*, Luncburgensem, J. U. Licentiatum, & in Academia Rostochiensis Lectorem, in horto deambulantem, qui templo Petrino atqve Collegio Jctorum erat proximus, & librum, quem manibus tenebat, inspicientem, a famulo suo globo tormentario nefarie trajectum fuisse, relatum legimus, cujus memoriam habita d. 24. Januarii in Collegio Jctorum oratione funebri instauravit *Franciscus Dejus*, Osnabrugensis, prout Clariss. *Otto Fri-*

tem fata Tibi, Nobilissime Consultissimeqve
Reipublicæ Lubecensis *Syndice*, JOHANNES
SCHÆVI, ad Te enim mea sese nunc con-
vertit oratio, extremò apprecor, qui prima
vice Museum hoc scholasticum ingressus es,
ut in hac panegyri discipulorum profectus, in
quos à scholæ doctoribus inquiri solet, ex-
plorares, deque illis æquum ferres iudicium,
ac diligentissimorum conatus de meliori,
quod dicitur, nota, Senatui amplissimo
com-

Fridericus Schüzius Commentar. de Vita Dav. Chytræi
L. I. p. 189. refert. Spectat huc *Joachimus Dobbin*,
Lubecensis, cui Flensburgenses primum scholæ suæ
fasces commiserunt, Lubeca autem munia sacra in
ædeD. Virginis & Cathedrali demandavit, de quo memo-
riæ est proditum, quod A. 1559. à ministro suo in Aca-
demia Wittebergenfi, in qua septennium vixit, vita
penitus fuisset privatus, nisi Deus eundem mira gra-
tia servasset. Extat eius rei ergo T. III. *Scriptorum*
publice propositorum p. 249. iusta adnimadversio, qua
iniquissimum hominem excepit Senatus Academicus:
Cum Wenceslaus Richter, Senfftebergensis, lethale
vulnus sine justa causa fecerit honesto & erudito ado-
lescenti, JOACHIMO DOBBIN Lubecensi, filio viri
honesti Henrici Dobbin, civis Lubecensis, & quidem
hero suo contumax & crudelis, nos re cognita in judi-
cio, reum Wenceslaum Richter Senfftebergensem ex cætu
nostro exclusimus, & ex oppido discedere iusimus, ac
pronuntiamus semper alienum à cætu nostro, & infamem
habendum esse. Ac Deo quidem gratias agimus, quod
singulari beneficio & miraculo vitam Joachimo servavit,
tamen vulnus lethale factum fuit in collo, ubi ferrum
infixum pone tracheam arteriam & pulmonem attigisset.
Sed tamen sceleris magnitudo pœnam meretur.

commendares. Faxit ergo Divinum ac præpotens Numen, ut sub tua cura & inspectione literarum elegantiorum cultus efflorescat, ac quævis læta & prospera Tibi Tuisque ex animi sententia eveniant, quò felicior & tranquillior *Finckelthufio* omnem tuam vitam transigas, atque rebus prospere fluentibus indies indiesque auctus præclaram nominis tui memoriam relinivas. De *Casparo Stoya*, qui *Lipfienfis* pariter fuit, & *Sigismundum Finckelthufium*, Jctum Lipfiensem, inter Patronos coluit, atque à civitate Budiffinenfi *Syndicæ* honore fuit ornatus, memoriæ est proditum, quod octoginta & octo annos vivendo exegerit, & per quinquaginta annorum spatium unius uxoris maritus extiterit. Ast neque hoc reticere queo, quod hanc felicitatem interturbarit gravissimum illud incendium, quod ante ipsius beatum ex hac vita discessum ædes senis venerabilis, & universam suppellectilem, consumpsit. 40) Hæc aliæque mala summum Numen a Te tuisque avertat longèque repellat, Teque perennare jubeat diutissime, quò matrem octogenaria majorem adhuc


40) Obiit Consultissimus hic Syndicus, qui *Lipsia* A. 1598. d. 18. Dec. lucem hanc primum adspexit, *Budiffæ* A. MDCXXCVI. d. 26. Julii, postquam die 14. Julii incendium valde magnum expertus esset. Fuscæ vitæ ipsius rationes *Homilia funebris*, à M. *Heinrico Basilio Zeidlerero* in *Pf. 51. v. 19.* habita, describit.

huc , quod Dei beneficio est tribuendum ,
 viventem referre , atque Conjugi , quam ha-
 bes , suavissimæ , per semisæculum adhærere
 queas conjunctissime ! Vos vero , *Juvenes*
suauiissimi , rogatos volo , ut *Laurentii Finckel-*
thufii memoriam nunquam abjiciatis , atque
 hoc firmiter credatis , elegantiores literas
 Vos haud unquam dedecere , ac cum Theo-
 logiæ , Jurisprudentiæ , & Medicinæ studiis
 ita inter se esse conjunctas ac copulatas , ut
 laudem concilient , atque jucunditatis fructu
 pulcherrimos afferant . Quapropter , finem
 oratiunculæ meæ impositurus , ad *insignia Fin-*
ckelthufiana Vos respicere jubeo , quæ bina
 igne micantes faces exhibuere , atque hisce
 versibus (41) fuere descripta ac commen-
 data :

Hæc quis præclaræ neget esse insignia laudis
Conspiciens binas igne micare faces ?
Si nescis , pietas est altera , & altera virtus :
Has ambas teneat qui volet esse bonus .
Non hæc insideo arma aliis : Communia sunt
Utere , cui virtus , cui pietasque placet .

DIXI.

41) Composuit eos M. Leonhardus Lycius , quibus de
Epigrammata , Gregorii Bersmanni , & M. Hulder. Sch-
beri , addi possunt , in *Finckelthufii Poematibus* obvia



B.I.G.

Farbkarte #13

OK 242 MEMORIAM

IV, 274

**D. LAURENTII
FINCKELTHUSII**

Lipsiensis
Reipublicae Lubecensis
olim Syndici ac Poetae laetissimi
ornatissimique
in

Z 6
1500

Athenæo Lubecensi

Cal. Aprilis A. MDCCXXI
peracto

BIBLIOTHECA
HALLE (GERMANY)

EXAMINE VERNALI

instauravit

**GEORGIUS HEINRICUS
GOETZIUS D.**

Lipsiensis
Ecclesiae Lubecensis Superintendentens

BIBLIOTHECA
POMIGALIANA

**LUBECÆ
OPERIS GREENIANIS**
A. MDCCXXIII

IV-274